



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Materia scriptionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

IX. Ut neque Fidei valor & præstantia nimis extollatur bona opera, & aliæ virtutes negligantur; atque ob eandem causam de efficacia gratiæ sermo circumspicere infirmetur.

X. Ut non vituperetur timor servilis Majestatis divini cum etiam hic sit utilis valde, & sæpe necessarius ad hominem à peccato mortali absterrendos; licet semper magis Filii timor & dilectio commendanda & suadenda sit.

### Materia Scriptionis.

Hoc die utiliter aliquæ orationes Jaculatoriæ conscriberentur, quæ pro varijs occasionibus servire queant; dici enim vix potest, quantum profint hæ orationes ad mentem perpetuò cum Deo uniendam, fervorémque devotionis, si remitti cœperit, instaurandum. Sunt quippe hæ orationes velut prunæ, quibus facillè divini amoris ignis in mentibus nostris suscitatur; sunt tela & sagittæ, quibus & ab hostibus nostris tueri nos, tutosque reddere, & verò etiam ipsius amor ad omnia, quæ petimus, concedenda expugnare possumus; sunt deliciæ & refocillationes, quibus languorem animi in miserijs humanis sublevare & tanquam cibo fortissimè vires ad alacriter decurrendam perfectionis viam restitimus: sunt epistolæ breves, quas anima per suspicia tanquam inter nuntios ad Deum & Sanctos transmittit. Verbo: Orationes hæ jaculatoriæ sunt compendiosissima ad mentem rebus terrenis abstrahendam, perfectionémque brevi tempore consequendam via; sunt medicina vitiorum, passivum frenum, virtutum perpetuum exercitium, & mentium uberrimorum fons perpetuus, unde S. Augustinus in Epistola ad Brotham sic scripsit: *Dicuntur Fratres in Epistola crebras quidem orationes habere, sed eas brevissimas tanquam & raptim quodam modo jaculatas, ne illa vigilanter crebras qua oranti plurimum necessaria est, per prolixiores evanescat, atque hebetetur intentio.* Ut ergo earum tantò facilius sibi familiarem facere possit Sacerdos in quocumque tempore poterit orationes ejusmodi jaculatoriæ pro varijs occasionibus sibi conscribere,

## ORATIONES JACULATORIÆ.

*Pro tentatione amoris inordinati ad creaturas.*

Quid mihi est in cælo, & a te quid volui super terram?

DEUS cordis mei, & pars mea in æternum.

*Pro tentatione visus.*

Averte, Domine, oculos meos, ne videant vanitatem.

*Pro tentatione auditus.*

Domine, quò ibimus? tu verba vitæ æternæ habes.

*Pro tentatione gustus.*

Non in solo pane vivit homo, sed in verbo, quod exit de ore DEI. Cibum meum est facere voluntatem Patris mei, qui in cælis est.

*Pro tentatione odoratus.*

Trahe me post te, ò JESU; curremus in odorem unguentorum tuorum.

*Pro tentatione tactus.*

Dilectus meus mihi, & ego illi: inter ubera mea commorabitur.

*Contra appetitum scientiæ.*

Ego nihil existimavi me scire, nisi JESUM Christum, & hanc Crucifixum. Christe, sciant quæcunque alij, mihi sufficit una Cognitioque tui, Cognitioque mei.

*Contra pusillanimitatem.*

Omnia possum in eo, qui me confortat.

*Contra superbiam.*

Abiit mihi gloriari, nisi in cruce Domini mei Jesu Christi.

*Contra invidiam.*

Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua.

*Contra favorem hominum.*

Mihi autem adhærere DEO meo bonum est, & ponere in Domino spem meam.

*Contra timorem hominum.*

Si DEUS pro nobis, quis contra nos.

*Contra judicia hominum.*

Ego autem pro minimo æstimavi judicari ab humano die. Prima virtus Monachi est, hominum judiciâ contemnere.